

F.K. 131
8

X 1876142

II K
35

*De non necessario
Quinquennio in
Juris studio, re-
ctoq; methodo,
brevisseratio ad
discenda scientia
Juris*

JURISPRUDENTIÆ
CULTORIBUS

S. P. D.

D. FRANCISCUS CONRADUS ROMANUS.





Quanto cum temporis dispendio prima Legum incu-
 nabula ab antiquis olim fabulis, post ævum præcipue Au-
 gusti, ut superioris Reipublicæ Romanæ fata in his jam tacea-
 mus, accersi, miserique Juris Studiosi machinationibus his
 mirum in modum deludi consueverint, istud quidem nego-
 tium ita comparatum est, ut nec declamatione nostra vel ulla
 etiam alia lucubratione indigere videatur, postquam Justinia-
 nus Ipse huic antiquato mori in Constitutione quadam ad
 Antecessores sat lucis fœneratus fuit. Unde porro est, cur & in commemoranda addi-
 scendi Juris studii nova ratione ab hoc Imperatore postmodum excogitata haud mul-
 tum desudemus, quia pariter in illa publicanda priores hujus Cæsaris curæ dulce nobis
 otium impertiverunt. Utque adeo circa hæc nil amplius ferme dictioni nostræ inte-
 grum superesse appareat, quam ut paucis saltem adhuc in id inquiramus, an nunc præ-
 stitutum istud Jurisprudentiæ funditus exhauriendæ quinquennium (quod a Papa quon-
 dam in sexennium transfusum, postea vero consuetudine Germaniæ in Academiis &
 foris iterum receptum, per Concilium Basileense ab abusibus purgatum, perque Ordina-
 tionem Cameralem tandem confirmatum, hodie vero moribus plerisque, itemve Saxo-
 nicis, arbitrarium esse in comperto habemus,) sufficiens etiam temporis spatium, vel mi-
 nus, ad istum finem obtinendum statuminari possit? Ubi quidem frustra a nobis spera-
 bitur, ac si perversos quosdam nos novatores heic loci gerere, & vel Sacratissimi hæc
 Principis sancita dicacule alicujus defectus insimulare, vel manes quoque sive pios sive
 impios Triboniani ob id lædere aliquo nobiscum pacto temerarie convenissemus;
 quin potius & hac in parte publice testamur, nonnisi difficulter ab antiqua fide Legum-
 latoribus habenda declinandum esse, hac solum adhibita cum cura, ne cum Baldo ea
 statim jura, quæ in ratione aliqua versantur, per Spiritum Sanctum in ora Auctorum
 suorum immissa fuisse, religiose nimis hallucinemur. Quæ cum ita sint, injuriæ aliquid
 Imperatoris menti, quando præcisum quinquæ annorum effluxum Juris studio bene
 capiendo definivit, inferri merito dubitamus, si adseruerimus, præsentis quidem Se-
 culi conditionem talem esse, ut ad vera Legum fundamenta plene delibanda nec qui-
 naria prolixitate opus sit, nec vero ad singula Juris latifundia juste emetienda vel quin-
 quagenarius sufficere Academicus credatur. Cum enim, sunt verba ILLUSTRIS
 & JCTISSIMI JACOBI BORNII, invaluerit, ut quodvis oppidulum, & vicus e-
 tiam quivis peculiaribus statutis, quam Lege communi, judicari malit, Commentario-
 rum autem Juris præterea farrago exindeq; propullulantes Legum insuperabiles pror-
 fus contrarietates in tam fœcundam multitudinem excreverint, ut numeros vix arith-
 meticos amplius admittant, ne de sexcentis aliis asperitatibus quicquã moneamus, quid
 incongrui quæso est, asseverare, edecumatum JCTum, si quidem nodos hos Gordios
 non secare velit, sed solvere, præter destinatõs nobis his ultimis temporum fecibus vi-
 vendi cancellos vel Methusalemi ætatem sibi apprecandi causam satis prægnantem pos-
 sidere? Interea tamen nostra ideo nondum desperata plane causa est, vel ea solum pro-
 pter, quod talia in his angustiis adhuc nobis succurrant undique subsidia, ut illis bene in-
 structi non possimus non unicuique ista rite prehendenti ablandiri, ipsum vel dimidio
 annorum elapso ad id in actum deducendum idoneum fore, quod alius iisdem destitu-
 tus nec per centesimum sane lapidem fuerit affecuturus. Chartæ equidem angustia,
 nunc prohibet, liberius in adornanda hac hypothese exspatiari, istaq; longius cumulare
 pondera, quibus eadem adserta firmiter corroborare in promptu multa certe essent; ast
 quo breviores isthoc in negotio declarando totaque mente nostra plenius aperienda
 hic existere inviti cogimur, eo prolixiores intra privatos parietes futuros nos pollice-
 mur: hac vice voto nostro potiti, si methodum generalem digitis saltim extremis atti-
 gerimus, qua ad porrigendas VOBIS, COMMILITONES, brevi admodum temporis spatio
 auxiliares multorum mediorem manus, quibus bene apprehensis a regio juris tramite
 seductos VOS nunquam deprehenderit, imposterum utemur. Scilicet cum in ea sem-
 per constituti fuerimus sententia, ac si Imperialium tituli Institutionum non solum-
 cum

cum locis Pandectarum, Codicis, Novellarum, aut Feudalium quoque Librorum, parallelis maximo cum usu, nullaque penitus Studiorum interruptione metuenda, combinari, verum etiam hodierni præcipue Juris fontibus commodissime admisceri possint, atque ita ex multifaria Legum collectione unam veluti eamq; firmissimam compagem colligare liceat, detrectavimus nobis longius attemperare, quin tacitas has intra præcordia hætenus agitata meditationes in publicum aliquando evolare sineremus, VESTROQUE judicio relinqueremus decernendum, quid de ausu hocce nostro boni augurari velitis? Ut autem eum paulo rotundius percipiatis, scitote, primo quidem loco nihil aliud nos proposituros esse, quam succinctam quandam studia juridica bene inchoandi, & cum fructu solitarie quoque ea prosequendi sciagraphiam, ubi ex innumeris istis, quos ordine circa has regulas occupatos VOBIS breviter referemus, Scriptoribus, nonnullos tandem feligemus, ad quorum normam nostra hæc præcepta, prout occasio id tulerit, ingenue dirigemus; inque id toti porro allaborabimus, ut omnem Juris & ante- & post-Justiniani seriem una cum ejus, quod ipso hoc regnante Imperatore fabrefactum est, historia atque vigore, qua veteri qua hodierno, legitime recenseamus, Saxoniarum deinde Ordinationum primordia & robur exhibeamus, tandemque generatim adjungamus, quo pacto habita quorundam universalium principiorum bonæ interpretationis ratione in pleraque Legum viscera penetrari queat, multæque adeo antinomix exulare debeant. Quibus ita fundaminibus oneri mox superinducendo positus non id agemus, ut in evolvenda nunc propinquiori Juris indagine ordinem titulorum sive Pandectarum sive Institutionum sive etiam auctoris alicujus Systematici ductum sequamur, sed ea potius vestigia prememus, quæ partim Ipse Justinianus nobis post se reliquit, partim vero potissima hætenus Doctorum pars, ob pronam facilitatis suæ commendationem, lubens insequi minus dubitavit, hoc est, ut paucis multa dicamus: omnem dicendi materiam in tres cogemus classes, quarum prima personarum, altera rerum, tertia vero actionum jura præ se feret. Quamvis enim nos non fugiat, Justinianæ huic materiæ Juris distributioni a multis emunctioris naris Interpretibus non sine justa causa, quam in Lectionibus ipsis latius expendemus, dicam sapius fuisse scriptam; aliis tamen argumentis iuo loco ponderandis moti nolimus hac vice secessum ab iis aliquem facere. Dum autem ad dicta modo tria Jurium capita quæcunque demum a nobis proponenda coarctabimus, primum quidem, si de aliqua materia edifferemus, omnes inter se concordantes totius Juris Civilis & Canonici titulos sollicitè conquisituri sumus, iisque consarcinatis cum cura ulterius investigabimus, quænam in multiplicibus his una de re textibus definitiones, divisiones, aliæque doctrinæ, sive reales sive verbales, quibus ubivis obvias antinomias indigitamus, lateant, & qua ope iis valide mæderi debeamus, susque deque habita ista conciliandi ratione lepida, quæ Glossæ alicubi arrisit, dum ad locum quendam subobscurum: Biberat hic Justinianus, subjicit, & non recordabatur de illis Legibus. Postea vero utrum etiam nunc usui inter nos hodie recepto illa vel contrarientur, vel convenient, & numne posterior Principis in suo territorio voluntas plane novi aliquid præter hæc statuerit? scrutabimur, rati: hanc viam pertinaciter si calcaverimus, & theoriæ subtilius addictos habituros esse, quod rimentur, nec practicis magis ingeniis defore quoque ea, quibus altius vires suas periclitari valeant. Atque, ut præterea quilibet stadia sibi destinata eo optatius adhuc decurrere compos fiat, non inutile speravimus futurum, sub calcem specialis uniuscujusque tractationis Auctores adjungere selectiores, qui aut de ista re figillatim commentati fuere, vel etiam uberius, utut incidenter saltim, eandem explanarunt, ejus constantissime iterum persuasi, quod tunc per privatam alicujus industriam non solum omnibus utcunque constitutis difficultatibus residuis domi viriliter satisfieri, sed & a nobis oretenus prolata ad incudem veritatis limpidissime vocari ulteriorique illustratione quotidie augeri possint. Verum enim vero quid de exantlando hoc labore quæsitus respondebit nunc Justinianus noster? annon præposteris titulo eundem sub initio compellabit? cujus quippe seria voluntas id nobis unice imposuit, ut *κατὰ πόδα* prius Juris Studiosi Institutionibus a se ex universa veterum Institutorum penu eliminatis, & ab omnibus turbidis fontibus in unum liquidum stagnum contrivatis, prout Ille ait, imbuantur, atque
post

FK 72 35

post demum diligentissima exactissimaque interpretatione singula tradantur, cum ad portandam tantæ sapientiæ molem primo quidem ausu non statim idonei appareant adolescentes, sicque mediocri potius quadam emendatione præparandi veniant, quo sub ea colorati & quasi primitiis omnium imbuti possint ad penetralia dein Legum intrare, & formam earum pulcherrimam non conniventibus oculis aspicere, quam ut incompta rerum multitudine obruti a toto postmodum opere quiete absolvendo turbidissime deterreantur. Sit reverentia dicto! Ast singula hæc nullo nobis negotio contrariari, quotusquisque est qui dubitabit? quando adseremus, nos ipsos haud aliam, quam ejusmodi Juris Institutionem meditari, per quam velut primum aliquod vestibulum ad arcana Legum altiora suapte sponte etiam, nullaque in auxilium vocata ulteriori viva voce Juvenes appropere sciant, & hoc unico solum observato cum discrimine supremum istum Imperatoris jussum religiose nos esse veneraturos, quod per *παράτιτλα* & indicem tantum quendam in unum coalescere jubebimus illa frequentius in vasto hoc Juris corpore repetita ac supervacue geminata, quorum plurima utique irrepsisse ex imbecillitate quadam humana partim, partim vero ob unanimem titulorum quorundam necessitate separatorum convenientiam subterfugi non potuisse & experientia testatur, nec Ipse quoque Cæsar diversis in locis abnuit. Deinde quod, una sic fidelia multos dealbantes parietes, abrogata a novis, usum ab abusu, nucleumque a cortice bene distinguemus. Liceat enim illud, quod olim Legum cupidis accidisse conqueruntur solliciti Juris Justiniani compilatores: ac si per saturam quasi tumultuarie & confuse collecta, utilia cum inutilibus mixta, maxima parte inutilibus deputata, tunc temporis Jura propinari obtinuerint; repetere de immensa hac ab iis interpolata Legum constipatione, ubi certe justa computatione habita inveniet quis, mutatis solummodo mutandis, ex tam ingenti Juris apparatu, quem duo millia librorum, ut authenticis id verbis eloquar, haud capient, nec trecentæ versuum myriades exæquabunt, vix linearum aliquot millia hodierno usui superesse, omnibus aliis deviis atque incognitis, & tunc tantummodo ex aliqua minima parte recitandis, quoties aliorum forte adhuc locorum usitatorum intellectus facilius hoc fieri coegerit, vel veterum quoque Juris Magistrorum dicta ex fundamento capiendi libido aliquem inceserit. Unde etiam multi Juris affectæ eo usque abrepti fuere, ut talismodi ærumnis circumdatos se conspicientes, futurum aliquem Justinianum summa cum animi impatientia ex umbris quasi revocandum optaverint, qui Leges iterum has senio jam fere prægravatas per suam vigilantiam in novam pulchritudinem & moderatum pervenire compendium felix anniteretur. Hæc, inquam, repagula, ut omnia tandem reliqua seponamus, si quis penitus paulo introspexerit, eorundem impar quanquam, industrius tamen, effractor num penitus in cassum agere dicendus, vel increpandus etiam ejus spei causa sit? alius quilibet ingenuus merito definiat. VOS interim nobiscum agite, COMMILITONES STRENUI, nostrisque his cœptis exoptatissimæ VESTRÆ præsentia cumulo velificamini, deliberationi præmittendæ horam pomeridianam secundam diei Mercurii proxime futuri, si placet, destinantes. Ita enim rem facturi estis, quæ vel sola brevitate sua, quam adhibitori sumus, VOBIS sese comprobabit, nobis vero calcar addet indefessum, ut VESTRIS amplius invigilandi Studiis nullum non lapidem simus commoturi. Valet. Dabam e Museo, IV. Non. Maji, A.M. DC. XCV.

L I P S I Æ,
Literis GOEZIANIS.

107

MC.

F.K. 131
8

X 187 6142

II K
35

*De non necessario
Quinquennio in
Juris studio, re-
ctoq; methodo,
brevisseratio ad
discenda scientie
juris*

JURIS
CUIUS
D. FRANCIS
TIAE
BUS
ROMANUS.

